

Rhetorica ad Herennium, lib. III: PRONUNTIATIO

• VOX

[21] Firmam ergo maxime poterimus in dicendo vocem conservare, si quam maxime sedata¹ et depressa² voce principia dicemus. Nam laeditur arteria³, si, antequam voce leni permulsa est, acri⁴ clamore completur.

Et intervallis longioribus uti convenit: recreatur enim spiritu vox et arteriae reticendo adquiescunt. ...

Et acutas vocis exclamationes vitare <debemus>: ictus enim fit et vulnus arteriae acuta atque attenuata nimis adclamatione, et qui splendor est vocis, consumitur uno clamore universus.

Et uno spiritu continenter multa dicere in extrema convenit oratione: fauces enim calefiunt et arteriae complentur et vox, quae tractata varie est, reducitur in quendam sonum aequabilem atque constantem.

Quam saepe rerum naturae gratia quaedam iure debetur! Velut accidit in hac re. Nam quae dicimus ad vocem servandam prodesse, eadem adtinent ad suavitudinem pronuntiationis, ut, quod nostrae voci prosit, idem voluntati auditoris probetur.

[22] Utile est ad firmitudinem sedata vox in principio. Quid insuavius quam clamor in exordio causae?

Intervalla vocem confirmant; eadem sententias concinniores⁵ divisione reddunt et auditori spatium cogitandi relinquunt.

Conservat vocem continui clamoris remissio⁶: et auditorem quidem varietas maxime delectat, cum sermone animum retinet aut exsuscitat clamore.

Acuta exclamatio vocem volnerat; eadem laedit auditorem: habet enim quiddam inliberale⁷ et ad muliebrem potius vociferationem quam ad virilem dignitatem in dicendo adcommodatum.

In extrema oratione continens vox remedio est voci. Quid? Haec eadem nonne animum vehementissime calefacit auditoris in totius conclusione causae? ...

[25] Cum autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem⁸ aut per distributionem⁹ faciendum est, in continuatione, adaucto mediocriter sono voci, verbis continuandis vocem quoque augere oportebit et torquere sonum et celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio¹⁰ consequi possit.

In distributione vocis ab imis faucibus exclamationem quam clarissimam adhibere oportet, et quantum spatii in singulas exclamationes sumpserimus, tantum in singula intervalla spatii consumere iubemur.

In amplificationibus¹¹ <cum> cohortatione utamur voce attenuatissima¹², clamore leni, sono aequabili¹³, commutationibus <crebris,> maxima celeritate.

In conquestione¹⁴ utemur voce depressa, inclinato¹⁵ sono, crebris intervallis, longis spatiis, magnis commutationibus. De figura vocis satis dictum est: nunc de corporis motu dicendum videtur.

¹ **sedatus**, -a, -um: gefasst

² **depressus**, -a, -um: dumpf

³ **arteria**, -ae f.: Luftröhre

⁴ **acer**, acris, acre: energisch

⁵ **concinnis**, concinne: gefällig

⁶ **remissio**, remissionis f.: das Nachlassen

⁷ **illiberalis**, illiberale: unedel; gemein

⁸ **continuatio**, continuationis f.: „Dauerrede“

⁹ **distributio**, distributionis f.: abgehackte Rede

¹⁰ **vociferatio**, vociferationis f.: Geschrei

¹¹ **amplificatio**, amplificationis f.: Steigerung des Ausdrucks

¹² **attenuatus**, -a, -um: schlicht

¹³ **aequabilis**, aequabile: gleichmäßig

¹⁴ **conquestio**, conquestionis f.: Wehklage

GESTUS, VULTUS

[26] Motus est corporis gestus¹⁶ et vultus moderatio¹⁷ quaedam, quae probabiliora¹⁸ reddit ea, quae pronuntiantur¹⁹. Convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam²⁰ esse, in gestu nec venustatem conspiciendam nec turpitudinem esse, ne aut histriones aut operarii videamur esse. Ad easdem igitur partes²¹, in quas vox²² est distributa, motus quoque corporis ratio videtur esse adcommodanda.

Nam si erit sermo cum dignitate, stantis²³ in vestigio levi dexterarum motu loqui oportebit, hilaritate, tristitia, mediocritate²⁴ vultus ad sermonis sententias adcommodata.

Sin erit in demonstratione²⁵ sermo, paulolum corpus a cervicibus demitemus²⁶: nam est hoc datum²⁷, ut quam proxime tum vultum²⁸ admoveamus ad auditores, si quam rem docere eos et vehementer instigare²⁹ velimus.

Sin erit in narratione sermo, idem motus poterit idoneus esse, qui paulo ante demonstrabatur in dignitate.

Sin in iocatione³⁰, vultu quandam debebimus hilaritatem significare sine commutatione gestus.

[27] Sin contendemus per continuationem³¹, brachio celeri, mobili vultu, acri³² aspectu utemur.

Sin contentio³³ fiet per distributionem³⁴, porrectione³⁵ perceleri brachii, inambulatione, pedis dexteri rara subplusione³⁶, acri et defixo³⁷ aspectu uti oportet.

Sin utemur amplificatione per cohortationem, paulo tardiore et consideratione³⁸ gestu conveniet uti, similibus³⁹ ceteris rebus atque in contentione per continuationem.

Sin utemur amplificatione per conquestionem, feminis⁴⁰ plangore⁴¹ et capitis ictu⁴², nonnumquam sedato⁴³ et constanti gestu, maesto et conturbato vultu uti oportebit.

¹⁵ **inclinatus**, -a, -um: gesenkt

¹⁶ **gestus**, gestus *m.*: Gebärdenspiel; Gestik

¹⁷ **moderatio**, moderationis *f.*: Beherrschung

¹⁸ **probabilis**, probabile: glaubhaft

¹⁹ **pronuntio 1**: vortragen

²⁰ **acrimonia**, -ae *f.*: Energie

²¹ **pars**, partis *f.*: hier: Aufgabe

²² **vox**, vocis *f.*: hier: Rede

²³ **stantis** = **stantes** (*Akk. Pl.*); **stare in vestigio**: auf seinem Platz stehen bleiben

²⁴ **mediocritas**, mediocritatis *f.*: Mittelweg; Zwischenform

²⁵ **demonstratio**, demonstrationis *f.*: Darlegung; Schilderung

²⁶ **demitto 3**, demisi, -misum: senken

²⁷ **datum est**: es ist von der Natur gegeben

²⁸ **vultus**, vultus *m.*: hier: Gesicht

²⁹ **instigo 1**: anspornen

³⁰ **iocatio**, iocationis *f.*: Scherzrede

³¹ **continuatio**, continuationis *f.*: Dauerrede

³² **acer**, acris, acre: energisch

³³ **contentio**, contentionis *f.*: Redekampf

³⁴ **distributio**, distributionis *f.*: abgehackte Rede

³⁵ **porrectio**, porrectionis *f.*: Ausstrecken

³⁶ **subplusio**, subplusionis *f.*: Aufstampfen

³⁷ **defixus**, -a, -um: starr

³⁸ **consideratus**, -a, -um: bedächtig

³⁹ **similibus ceteris rebus**: *abl. abs.* (wobei die übrigen Dinge ähnlich sind wie bei ...)

⁴⁰ **feminis**: *Gen. zu femur*

⁴¹ **plangor**, plangoris *m.*: das Schlagen; das Klatschen

⁴² **ictus**, ictus *m.*: das Schlagen

⁴³ **sedatus**, -a, -um: gefasst